Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Iam vero mane facto cum fratres ad opus dei festinassent. et post hec iter egissent ad navim ecce apparuit mensa parata sicut pridie. Iam per tres dies et tres noctes preparavit deus prandium servis suis. Post hec brandanus cum suis sociis cepit iter agere et dicere. Videte ne aliquis ex vobis aliquid de substantia istius insule tollat secum. At illi omnes responderunt. Absit pater ut aliquod furti violet iter nostrum. Tunc dixit sanctus brandanus. Ecce frater noster quem dixi vobis heri habet argenteum frenum in sinu suo quem hac nocte tradidit dyabolus. Cum hec audisset ille frater iactavit frenum de sinu suo et cecidit ante pedes viri dei. Peccavi inquit pater ignosce ora pro anima mea ne peream. Confestim omnes simul prosternebant se ad terram deprecantes dominum pro anima fratris. Elevatis autem fratribus a terra elevatoque fratre a predicto patre. ecce viderunt ethyopem parvulum salire de sinu suo et ululantem voce magna atque dicentem. Cur me vir dei iactas de habitatione mea in qua habitavi vii annos et facis me alienum ab hereditate mea. Sanctus brandanus ad hanc vocem dixit. Precipio tibi in nomine domini nostri ihesu christi. ut nullum hominem leseris usque ad diem novissimum. Iterum conversus frater a sancto brandano alloquitur. Sume corpus et sanguinem domini. quia anima tua egreditur de corpore hic enim habes locum sepulture tue. En frater tuus qui venit tecum de monasterio vestro in inferno habet locum sepulture sue. Itaque accepta eucharistia. anima fratris egressa est de corpore et suscepta ab angelis lucis videntibus fratribus. Corpus autem a predicto patre conditum est in eodem loco. Igitur fratres cum sancto brandano venerunt ad litus eiusdem insule ubi erat illorum navis. Ascendentibus illis in navim occurrit illis iuvenis portans cophynum plenum panibus et amphoram aque. Qui dixit eis. Sumite benedictionem de manu servi dei. restat enim vobis longum iter usque dum invenietis consolationem tamen non deficiet vobis panis neque aqua ab isto die usque in pascha. Accepta benedictione ceperunt navigare in occeanum. Semper per biduanas reficiebant. ita per diversa loca occeani ferebatur navis. Quadam vero die viderunt insulam non longe ab illis. Cumque cepissent navigare ad illam. subvenit prosper ventus in adiutorium ut non laborarent plus quam vires poterant sustinere. Cum navis stetisset in portu precepit vir dei omnes exire foras ipse autem egressus est post illos. Cum autem cepissent circuire illam insulam viderunt aquas largissimas manare ex diversis fontibus plenas piscibus. Dixit autem sanctus brandanus fratribus suis. Faciamus hic divinum opus et sacrificemus deo immaculatum holocaustum. quia hodie est cena domini. et ibi manserunt usque in sabbatum sanctum pasche. Perambulantes illam insulam invenerunt diversos greges ovium unius coloris id est albi. ita ut non possent videre terram pre multitudine ovium. Convocatis fratribus suis brandanus dixit illis. Accipite que sunt necessaria ad diem festum de grege. Fratres vero festinabant secundum mandatum viri dei ad gregem. Qui statim acceperunt de grege unam ovem. et cum illam alligassent per cornua sequebatur quasi domestica. illum qui tenebat ligatam in manu sua. usque ad locum ubi stetit vir dei. Qui dixit uni de fratribus. Accipe agnum immaculatum de grege. Qui festinavit. et fecit sicut sibi iussum fuerat. Cumque illi parassent omnia ad opus crastine diei. ecce apparuit illis vir habens in manu sua sportam plenam subcinericiis panibus et ceteris que necessaria erant. Cumque hoc posuisset ante virum dei cecidit pronus super faciem suam tribus vicibus ad pedes sancti patris dicens. Unde michi inmerito o margarita dei ut pascaris in istis sanctis diebus de labore manuum mearum. Brandanus elevato illo de terra et dato osculo dixit. Fili dominus noster ihesus christus proposuit nobis locum ubi celebrare possimus suam sanctam resurrectionem. Cui ait predictus vir. Pater hic celebrabis istud sabbatum sanctum. vigilias quoque et missas cras in insula quam videtis proposuit vobis deus celebrare suam resurrectionem. Dum hec dixisset cepit obsequium famulorum dei et omnia necessaria que erant in crastinum preparare. Finitis omnibus et allatis de navi dixit brandano predictus vir. Vestra navicula non potest amplius portare. Ego vobis mittam post vii dies que vobis necessaria sunt de cibo et potu usque in pentecosten. Brandanus dixit. Unde tu nosti ubi [illegible] nos erimus post vii dies. Qui ait. Hac nocte eritis in illa insula quam vos videtis prope et cras usque in sextam horam. postea navigabitis ad aliam insulam que est non longe ab ista insula contra occidentalem plagam. que est paradysus avium. ibique manebitis usque in octavam pentecostes. Interrogabat quoque illum brandanus quomodo oves potuissent esse tam magne sicut ibi vise sunt. Erant enim maiores quam boves. Cui ille dixit. Nemo colligit lac de ovibus in hac insula nec hyemps distringit eas sed in pascuis semper morantur die noctuque. ideo maiores sunt quam in vestris regionibus. Profectique sunt ad navim et ceperunt navigare data benedictione invicem. Cum autem venissent ad aliam insulam. cepit illa navis stare.